

pitulorum numerum abeunt, quorum *Elenchus* continuo subjectus est. Plerumque unicus unius Patris locus *Capitulum* censetur. Patres vero, quos solers Coenobita autor defloravit, hi sunt: *Johannes Chryf. Beda, Hieronymus, Cassiodorus, Augustinus, Gregorius M. Haimo, Maximus, Origenes, Ambrosius, Isidorus Hisp.* quo ultimo simplici vice P. V. c. 62. de tonsura ecclesiastica utitur. Partis I. initium est: *Pater iste familias homo dicitur similitudine non ueritate &c.* Finis Operis: *Cuncta tamen per caritatem singulorum sunt. Explicit Liber.*

II. fol. 83. Incipiunt *Excerpta* promiscua ex *Augustini* Epistolis et quidem: *Augustinus uolusiano in ea epistola. Legi litteras tuas in quibus uidi magni cuiusdam dialogi specimen &c.* Adhaeret locus *Hieronymi in Sophoniam, Augustini in libro de Sacramentis, Cypriani in Epistola de marziale et basilide ad felicem presbiterum*, quibus litera quadr. subscriptum: *Scribenti Salus. Legenti Vita Eterna. Amen.* Dubium haud est, in disiectis his PP. membris plura reperiri, quae ad constabiliendam genuinam lectionem conferrent.

*Pag. ult.* manu *Codici* coeva legitur haec Donatio: *Huius traditionis testimonium percipiat ecclesia fidelium quod miles quidam Timo nomine cum coniuge sua Tuota de Reginoldsbach quoddam mancipium Uocabulo Perbtoldum super altare S. Georgii tradidit ut*

*censum. V. denariorum annuatim persoluens. fratribus ibi deo seruiantibus sub hac ditione deseruiat. Huius rei testes sunt. Wolfolt de Teraz. Purchardus. Ruodolfus. Wilant de Diupbusin. Reginprebt.* Ex *Altari S. Georgii* concludo *Traditionem* hanc et ipsum *Codicem* olim pertinuisse ad Coenobium *Weltenburgense* O. S. B. in *Bajoaria*. Adi, si lubet, *Cod. L.* Ambiunt illum utrinque *Sec. f. XII.* scriptae *Membranae* partem *L. III. et IV. Georgicorum Virgilio* complexae, textu, quatenus aevum pepercit, admodum emendato.

## CCCXI.

Codex partim membranaceus <sup>282</sup> partim chartaceus lat. *Sec. XV.* Folior. 295. f. per duas columnas non eadem manu exaratus complectitur *Ulrici Engelberti de Argentina* Clari in O. P. Viri, *Teutoniae*que, ut vocant, *Provincialis*, qui exinde *Parisiis* ad profitendas literas accitus diem clausit anno 1277. *Summam* seu opus vastum de *Summo Bono*, sex alias libris constans, quorum tamen hic non nisi primi quatuor, quarto etiam mutilo, habentur; id quod innuit *Nota Codici* praefixa: *Ulrici primus secundus tertius completi et quartus incompletus, XXI sexterni 1458.* Titulus est: *Incipit liber de summo bono, cuius primus liber est de laude sacre scripture &c.* Initium Operis: *Diuinum nobis per organum sapientie resultat oraculum &c.*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3924

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1221

## D O G M A T I C I.

1222

&c. Liber II. agit de unitate diuine nature. III. de Trinitate personarum in communi et de pertinentibus ad ipsam. IV. de Deo patre secundum appropriatam sibi rationem primi principij. Libro V. agi de Persona Jesu Christi, et VI. de Peccatis et Virtutibus ex O. P. Scriptorib. T. I. p. 357. intelligo. Libri hi mole inter se inaequales in *Traclatus*, hi vero in *Capita* abeunt. Opus integrum neque ipsis Bibliothecae mox citatae conditoribus videre contigit, ut testatur *ibid.* *Echardus*, qui dum *Scriptores* suos ederet, nondum responsum acceperat ex Abbatia *Corfendoncana* Can. Reg. in *Belgio*, ubi *Summae* nostrae pariter Exemplar extat. Extat vero etiam in *Vaticana*, et quidem signate *Libris* VI. teste *Montefauconio* in *Bibl. Bibl. Mss.* T. I. p. 101. Nostrum deficit in *L. IV. Tracl.* 3. c. 8. de *Diuinatione* hisce verbis: cuius hec sunt uerba in fine celestis *yerarchie*. habet tamen adiectum *Indicem* alphabeticum, ex cuius folius inscriptione nomen *Ulrici de Argentina* innotescit.

## CCCXII.

209 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 165. f. partim per columnas, partim lineis longis exaratus, et rubricis distinctus sequentia complectitur Opuscula: I. *Hugonis de Novo Castro Victoriam Christi contra Antichristum*. Constat *Capp.* XXXVI. quorum primum usque ad ea verba: Denis *Codd. Theol. V. I. P. II.*

posset fallere mundum &c. e *Cod.* deperiit; incipit vero, *Waddingo* teste: *Non sum Propbeta, nec Filius Propbetae*. Ultima sunt: *Doctores tamen relinquo determinandum si sint credenda*. Post quae nobis haec Rubrica subijcitur: *Finis huius tractatus de victoria christi contra Antichristum qui magistri Hugonis Parisiens. theologie et decretorum doctor intytulatur et per eundem Hugonem editus sub anno domini. 1322. Scriptus est hic liber per me fratrem Michaelem. 1471. argn. (Argentinae) et finitus potencie virg. eiusdem anni*. Eodem quoque anno, sed sine loci mentione, typis lucem vidit, ut Exemplar *Bibl. Caes.* docet, et testantur *Loescherus*, et *Leichius* apud *Maitt.* et *J. Dom. Mansius* in edit. *Bibl. Fabric. med. et inf. Lat.* L. VIII. p. 290. qui tamen ex adiecto *Parisensis* non recte infert, autorem *Anglum* non fuisse, qualem *Balaeus*, *Pitfeus*, *Tannerus*, *Waddingus* faciunt, qui postremus in *Scriptt. O. M.* p. 179. natum in *Castro novo* (*New-Castle*) dioec. *Dunelmensis*, mortuum vero et sepultum in *Conventu Ordinis Parisino* tradit. Annus, quem librarius adsignavit, fortasse 1 (3) 39. vel 1 (30) 9. est. Anno enim 1322. *Hugo* noster *Capitulo generali Perusino* interfuit, ut apud *Waddingum* cit. habes.

II. fol. 31. rubro: *Eloquentissimi leonardi (Bruni) Aretini Ad illustrem dominam baptistam de malatestis pisauri &c. quam ad lectitandos eciam Gentiles non sine*  
B racione